













1720.

- 18<sup>te</sup> Schmal, Petrus Ferrerius: De matrimonio legitimo  
et hujus benedictione sacerdotali: 2 Sept. 1720. 1744.
- 29<sup>te</sup> Stein, Johannes: De conjugio maris pauperis et  
foeminae locupletis. 2 Sept. 1720. 1740.
3. Stephanus, Johannes Albertus: De rebus exportari  
prohibitis vulgo Contre bande - Waren.
4. Tilenius, Balduinus: De jure civitatis in aquis consti-  
tuti.

1721.

1. Bayerus, Theophilus Lysippos: Historia congrega-  
tionis cardinalium de propaganda fide.
2. Schroederus, Philippus Richardus: De eo, quod justum  
est circa vota novi anni.
3. Schroederus, Philippus Richardus: De finibus poli-  
tices et jurisprudentiae.



1724.

4. Tilenius, Balbh: De remissione exheredationis

1725.

Tilenius, Balbh: De sensu tituli: nos Dei gratia 17

Rec. 1757. 1.

1724/1. Beckenstein, Linco: De inuitate Distine 2.

honorum quarundam in specie: De lege permissiva  
et proceptiva, de infamia juris et facti, de jure  
natural primario et secundario. 17

2. Borelius, Kathelin Suerker: De epileptia ex Depressio  
Oratio. 17

1725

1. Beckenstein, Johann Linc: De inuitate Distinctionis  
inter servitutes urbanas et rusticas. 17

2. Tilenius, Balbh: De cambela: Bei Verpfändung aller  
meiner Hand n. Guttes. 2 Bueff. 1725-1745 1.



1729.

Schne, Reinholdus Fridonem: De jurebus viduarum nobilium  
in regno Borussiae

1730

1. Pöschker, Daniel Hendes: De ubertate
2. Waga, Stephanus: De restitutione feminae per uxorem

1733.

Waga, Stephanus: De probatione mortis per instrumentum

1734.

Bolz, Theodorus: De die.

1735

Waga, Stephanus: De eo, quod justum est, circa matrimonium in mortis articulo contractum 2 Suppl. 1735

1747

1737.

1. Mizel, Philipp Theod: De jure et iustitia cogitationes

1737. Schmal, Reinholdus Fridericus: De venatione, <sup>legum</sup>  
2. ~~Brockenstein, Joh. Simon:~~  
pote facturae per arum prohibita. 2 Smitt. 1737, 51.  
3. Schmal, Reinholdus Fridericus: De locutione  
jurisdictionis.

1738.

Waga, Stephanus: De iis, quibus jus belligerandi com-  
petit.

1739.

Testerus, Sigism. Christoph: De puera bigamia  
a conjugio matrimoniali deserto commissa.



783 39.

Q. D. B. V.  
DISPUTATIONEM  
DE

1721, 4

REMISSIONE  
EXHÆREDATIONIS,

10

P. 3/2,

CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ,  
IN AUDITORIO MAJORI  
DISQUISITIONI EXHIBET

PRÆSES

BALTH. TILESIIUS,  
J. U. D. ET P. P.

RESPONDENTE

JACOBO ERNESTO HAHN,  
REG. PRUSS.

ANNO MDCCXXI. DIE MAJI.

REGIOMONTI, LITERIS REVSNERIANIS.





OPTIMIS, QUOS EX CONSANGVINEIS UNA  
CUM CÆTERIS MAXIME VENERATUR,  
VIRIS  
MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILISSIMIS,  
AMPLISSIMIS, EXCELLENTISSIMO, CONSULTISSIMO  
DN. JOHANNI BERNHARDO  
Sahn/

Philos. & S. S. Theol. Doct., Ling. Oriental. in hac Albertina  
Professori Ordin. celeberrimo, Senatus Academici Assessori  
gravissimo, & h. e. Amplissimæ Facultatis Philos.  
Decano spectabili,

*Fratri suo Parentis loco æternum venerando, & ob ingentia  
beneficiorum, in se collatorum, genera ipsi devinctissimo,*

DN. HENRICO Sahn/  
Consiliario Civitatis Cniphosianæ gravissimo,

*Patrui suo multis honorum prædicationibus, reverentiæque  
cultu ad cineres usque colendo.*

Hanc dissertationem juridicam sacram facit,

Fautores ambo ! Perblando cernite vultu  
Ramos hos studii, hæcenus hic sudore peracti.  
Accipiatis, Amici, hæc scripta carentia fasti.  
Teffera sit cordis manifesta hæc pagina grati.  
Ecce, Alumnus Vobis Numen data dona refunde;  
Regnum Iphis coeli deus Optime Maxime Christe!

JACOBUS ERNESTUS Sahn/  
L. L. Stud.



## THESIS I.



Rustra exhæredationem hodiè ab iis, quorum unus alteri, ut necessario hæredi, bona ob causas certas adimere potest, remitti, *Mevius Part. 4. Decis. 184.* existimat. Propugnat ibi hoc exinde, quod, dum præjudicare Reipublicæ privati nequeunt, nec condonatio pœnæ ex voluntate eorum dependeat, sed in delicta magistratum ex officio potius oporteat inquirere. Hinc & *Part. 5. Decis. 152.* si parentes filios immorigeros ac meritos exhæredationem, à successione sua non excluderint, hæreditatem nihilominus iis, tanquam indignis, quò illata Parentibus injuria publicè vindicetur, auferendam, & Fisco istanc ad instar eorum, quæ indigni cæterum perdunt, addicendam esse, censet.

## THES. II.

Verum ut hoc placitum *Mevii*, quoad pœnam propriam, & à Magistratu ob verbera v. c. parentibus à liberis illata irrogandam, non verò &, quod exhæredationem attinet, utpote quæ arbitrio privatorum ob causas certas relicta est, procedit: sic nec assensum id idcirco, quod publicè aliquos ab hæreditate, ut indignos, excludere, ac Fisco illam vindicare concessum sit, impetrat. *Stryk. Tr. de Succ. ab Intest. Diff. 12. c. 2. S. 34.*

## THES. III.

Scilicet non coincidunt (1) exceptis non nisi paucis, causæ exhæredationis cum iis, ex quibus hæreditatem aliquibus, Fiscus, ceu indignis, aufert, sed quemadmodum illæ regulariter aliæ, sic & peculiare hæ existunt. *Conf. Nov. 115. c. 3. & 4. cum Tit. ff. de his, quæ ut indigni.* Vnde cum privati ex his auferre per *d. Tr.* hæreditatem sibi invicem nequeant, nec eadem ex illis statim in pœnam

A



2  
nam Publico cedit. Quod in casu, quo injuria remissa est, & de  
his asserendum, quæ bona, ut indignis simul, ob injuriam privato  
factam adimant, quia sublata causa, & poena, ut effectus, cessat.

#### THES. IV.

Est (2) opinio Carpzovii æqua planè, quâ confiscationem  
nullam, extra crimen læsæ Majestatis, contra hæredes, etiam ex cau-  
sis, vi quarum hæreditas quibusdam, ut indignis, denegatur, per  
*Nov. 134. cap. ult.* admittendam esse, putat. Quo fine & præjudi-  
catum in rem hanc aliquod affert, per quod filio parricida hæredi-  
taria portio ablata quidem, sed non & Fisco tamen, verum cohæredi-  
bus delinquentis, assignata fuit. *Vid. Pr. Crim. qu. 135. num. 27.*  
*usq. 4r.*

#### THES. V.

Non fugit interim nos, *dict. Novell.* quæ bona ad mortem con-  
demnatorum propriè respicit, confiscationem bonorum etiam, à qui-  
bus indignos Fiscus arcet, haud proferbere. Inde in Belgio vel  
sua adhuc ætate, hæreditatem alicujus, quem hæres interfecerat,  
& legatarum cuidam, adulterii cum testatrice convicto, relictam, jux-  
ta *l. 10. C. de his, quib. ut indign.* & *l. 14. ff. eod.* Fisco cessisse, Hu-  
berus *part. 3. præl. ad Tit. ff. de his, quæ ut indign.* meminit. Quod  
jus præterea in locis non minus aliis observari, & sequens faciliè à  
*Dn. Stryck. in l. Mod. π. ad Tit. de his, quæ ut indign. §. 1. ex Ord.*  
*Magd. polit. C. 44.* adducta constitutio probat: Ob gleich einige  
Rechts-Lehrer in denen Gedanken stehen, es sey der *iii. C. de his,*  
*quib. ut indign. aufserur hered.* gar nicht mehr in der Uebung, soll  
doch in unserm Herzogthum Magdeburg, weil selbiger Titel durch  
keine Reichs-Constitution, noch durch eine sonderliche Satzung der  
hohen Landes-Obrigkeit auffgehoben / nach dessen Inhalt jedes mahl  
gesprochen werden.

#### THES. VI.



THES. VI.

In Jure Prutenico tamen circa causas indignitatis, sive tales, ob quas exhereditatio simul fieri potest, sive peculiares illæ etiam fuerint, de Confiscatione nihil occurrit. Conf. hinc (1) l. 9. §. 1. ff. de his, que ut indign. cum §. 2. Jur Prut. pag. 763. verb. Die andere item l. 1. pr. ff. si quis aliqu. test. prob. cum §. 4. pag. 764. verb. Die neundte; quò loco, quamvis quod in testamento relinquere Pater à filio prohibitus est, huic adimatur, cedere id nihilominus iis, quibus destinatum fuerat, debet. Conf. (2) l. 13. §. 3. ff. de his, que ut indign. cum §. 2. pag. 790. ubi legatum non tanquam ex indignitate, sed ut ex revocatione potius concidit, verb. als ob es offentlich wiederruffen / adeoque apud hæredem, qualis ceterum ademptionis juxta l. 19. ff. de adim. & transf. Leg. effectus est, manet Conf. (3) denique l. 2. §. 3. ff. de his, que ut indign. cum §. 2. pag. 672. Nam utut quidem mentio Filii h. l. fiat, non tamen is huc aliter, quàm in casu, deficientium demum hæredum, succedit.

THES. VII.

His breviter sic annotatis & compositis, Remissio jam, cui pertractandæ operam dare animus est, expressa alia, alia verò tacita existit. Per illam disertè vel ipsa exhereditatio, vel causa, ex quâ processit, remittitur. Hæc audit, ubi causam quis exheredationis in Testamento non expressit, cum tamen tam illud condere, quàm causam ei inserere potuerit, ac debuerit.

THES. VIII.

Expressa dubio procul per se patet, nec prolixiori explicatio ne indiget. Ex tacita autem condonasse exheredationem (1) quis censetur, ubi causam, qualem Nov. 115. requirit in Testamento non expressit. Nam quoties istæ circa conditum testamentum, vel disertè commemorata fuerit, exhereditatio nihilominus adhuc nulla erit.





4  
erit. Hinc si Pater filium in Instrumento Donationis, quo omnia alicui bona donavit, aut in Codicillis, ex causa quamvis sufficiente, exhæredaverit, nondum ab hæreditate tamen ideò arcebitur, § 2. *Inst. de Cod. Mæv. Part. 4. Decis. 183. Stryk. Tr. de Success. ab Inest. Diff. 12. c. 2. §. 33.*

## THES. IX.

Facit locum prætermissa causæ legitimæ expressio remissioni exhæredationis in tantum, ut nec cesset illa, licet (1) testator exhæredationem perspicuè, & ob causam insuper aliquam in testamento fecerit, velut weil mein Sohn Titius sich gegen mich und danckbahr und ungehoriam von Jugend auff erwiesen, als will ich denselben hiemit von allen meinen Gütern enterbet haben, quamvis (2) scriptus hæres causam justam exhæredationis à testatore in testamento omittam probare possit, licet (3) exclusum defunctus sub clausula imprecatoria, bey Umdrehung alles Götlichen Glücks in Zeit und in Ewigkeit, dispositioni suæ contravenire vetuerit. Nam quoties actus aliquis legi non convenit, quod satis & hic ex *Nov. proximè all. 115. c. 3.* liquet, toties nihil quis, ac cumprimis in odiosis quidem, adeoque nec exhæredationem Testator, quæcunque tandem enixa voluntas Ejus, pro ratihabendâ illâ, accesserit, voluisse, sed ut condonatum istanc potius & non factam, cum in *Jure arg. l. 6. ff. qui satisd. cog.* non legitimè, ac prorsus non fieri, paria sint, censebitur agnovisse.

## THES. X.

Additur quoad remissionem hanc tacitam in Descriptione: *sum tamen illud condere, causamque ei inferere potuerit.* Quare commissum delictum pro condonato haudquicquam habendum erit, ubi Pater, quem aut filius testari prohibuit, aut correptum furore neglexit, aut captum ab hostibus non redemit, vel quando filius è contra, cum Pater in his, ratione ipsius, peccaverit, sub-  
tem-



786

3

tempus prohibitionis statim, aut in exilio mentis, vel in captivitate, decessit. Nam juxta casus hos nullum à defuncto testamentum condi potuit.

## THES. XI.

Aliud statuendum idcirco, ac pro indicio remissionis haud incerto (2) reputandum, ubi defunctus post prohibitionem, furorē & captivitatem, facultatem testandi commodam nactus, ad exhæredationem non processit. Quod multo magis in eo casu obtinebit, quò, cum tam ante causas exhæredandi has, quàm alias hæres aliquis expressè scriptus sit, testamentum postea aut nullum aliud ab habili testatore conditum, aut factò exhæredatio nihilominus inserta non fuerit. *Vid. Stryk. Tr. de Success. ab Intest. Diss. 12. c. 2. §. 28. & 30.*

## THES. XII.

Quæritur interea hoc loco: Annon, cum hodiè & in captivitate quis testari, ac aliquis idcirco etiam, quod nullam inopis ægrique Patris vel filii curam habuerit, exhæredari possit, Parens aut filius absque testamento apud hostes, vel in summa paupertate, aut ex ægritudine decedens tacitè causam exhæredationis remisisse credendus sit? Prævalet autem negativa tum communiter, quia, utut hodierna captivitas, ac morbus cæterum paupertasque gravis, factionem testamenti non per se & omnem extinguar, artamen *commodam* facilè tollit, quo ipso non aliquis de jure quidem, verum de facto sæpius tamen testari impeditur. *Vid. Stryk. Tr. de Caut. Test. c. 19. §. 37.* Quò accedit, quod causæ hæ, quæ adhuc durant, hæreditatem etiam citra testamentum adimant, & in casu morbi ac inopix jus peculiarare jam ac potius iis, qui indigum, ægrumque Patrem aut

A 3

filium



6  
filium hucusque curarant, quæsitum sit. Consentit omnino Jus  
Prutenicum pag. 766. §. 7. & pag. ant. §. 6.; nec non  
pag 768. §. 2.

### THES. XIII.

Sequitur ultimo in descriptione remissionis tacitæ : *Ac debuerit.* Unde cum in testamento causa exheredandi à fratre exprimensda non sit. *Stryk. all. Tr. de Caus. T. II. c. 19. §. 42. Struv. Ipræ. forens. lib. 2. tit. 17. §. 8.* nec exinde, quod illius haud meminerit, exheredatio, ubi ingratitude à se exheredatus frater amoliri nequit, pro remissa habebitur. Spectat autem hæc thesis, ut quisque intelligit facile, ad casum, quo turpis persona fratri in testamento prælata fuit. Nam prout extra hunc omnimoda præteritio ejus vitio caret : sic nec vel exheredatio ad ipsum ab hereditate removendum requiretur, vel quæstio superesse de remissione exheredationis aliqua hinc poterit, nisi quod de Culmensi, inter alia, Jure aliud statuendum putes, utpote per quod frater absque distinctione fratri, etiam ubi turpem personam ipsi haud prætulit, certam hereditatis portionem, nempe quadrantem relinquere cogitur. *Vid. lib. 3. tit. 8. c. 16., ibi; ist schuldig ihnen das vierde Theil des Guts ꝛc.*

### THES. XIV.

Examinanda, post hæc, nunc ea quæstio est : utrum, quando Pater filium ex causa in testamento expressa & sufficienti exheredem scripsit, & post factam exheredationem, cum illo in gratiam rursus rediit, fulmen exheredationis nihilominus ipsi adhuc noceat ? Tacite & per consequens extinctum id esse, *Dd. communiter ex l. 5. C. fam. herede.* colligunt. Unde & *Dn. Stryk. Tr. de Caus. Testam. c. 19. §. 10.* istum patrem, qui  
filium



7  
 filium suum hoc modo exheredavit, weil mein Gottloser und  
 Epicurischer Sohn aus boshaftigem lüderlichen Gemüht mir  
 alle Schmach angefüget/ und geschlagen/ so entziehe ich ihm hie  
 mit allen Väterlichen Sorgen / und enterbe ihn / ja erkenne  
 ihn unwürdig / daß er hinführo mein Sohn seyn soll / und  
 übergebe ihn der Rache und Straffe Gottes / minus caute  
 illum ab hæreditate removisse autumat, cum exheredatio ejus-  
 modi, quoniam ex calore iracundiæ processit, lapsu tēporis,  
 receptione filii in communem convictum, aut meritis, quæ  
 iram patris tollunt, extingvi simul, utque inconsulta corrumpere  
 in totum possit.

THES. XV.

Verum ut hæ imprecationes inconsideratè prolata ac iram  
 non nisi meram spirantes pro immutatis per modos hæ recen-  
 sos haberi poterunt: sic quod exheredationem ipsam tam in-  
 memorato casu, quam extra eum attinet, sententiam Juri prio-  
 rem haud congruere l. è contra 23. pr. ff. de lib. & posth. hæ-  
 red. Inst. satis probat, utpote in qua Papinianus expressè Filio,  
 inquit, quem Pater post emancipationem à se factam iterum ar-  
 rogavit (& sic in pristinam gratiam recepit) exheredationem  
 antea scriptam nocere dixi.

THES. XVI.

Et hujus igitur dispositioni claræ inhærentes, hæreditatè  
 filium, ni in specie exheredationem vel causam ejus à patre ma-  
 nifestè sibi remissam docuerit, privari post fata adhuc illius o-  
 pinamur. A quo ulterius placito nec jus b. l. Prutenicum re-  
 cedit. Vid. lib. 5. tit. 5. §. 12., ibi: und ihnen solche seine Miß-  
 handlung ausdrücklich verziehen hätten. Etenim nequit jus  
 alteri





alteri quæsitum condonatio generalis tollere. *Perez ad C. tit. de lib. prat. vel exhered. n. 21.* possuntque Patri causæ insuper cognitæ esse, ob quas remissio exhæredationis filio haud conducatur.

### THES. XVII.

Non (1) adversa nostræ, ex *all. l. 5. C. fam. hercisc.* debitè confirmatur opinio, quoniam consequentia à perpetuorum vinculorum ac venundationis cum exportatione in testamento decretæ, ob iram Domini per merita servorum postmodum mitigatam, remissione, ad condonatam exhæredationem, tanto utpote, quantum liberatio à vinculis prædictis, ac venditione meretur, favore haud dignam, minus, ceu apparet, rectè procedit. Est præterea ibi nuda vindictæ ac mali inferendi remissio, sed hic beneficii insuper collocandi intentio. Quare nec hanc necessariò illa rursus inferet, siquidem animus reconciliatus citius ab illatione mali abstinet, quam ad beneficia exhibenda pronus est, *Thomas. in Schol. ad Hub. prælect. part. 3. pag. 325. & sequ.*

### THES. XVIII.

Frustra (2) objeceris dicendo: quod arrogatio tamen in *l. 23. pr. ff. de lib. & posth. hered. Inst.* ante pro nobis adducta, non valuerit, *verb. nam in omni ferè jure observari consuevit, ut veri patris filius adoptivus nunquam intelligatur*, quodque porro eadem non præcisè ex benevolentia & reconciliatâ mente procedat, cum & ob alias causas, velut implendæ conditionis gratia, arrogari quis possit. *Vid. Hub. l. c.* Etenim (1) verè quidem ac eo modo, quo extraneus alius, filius proprius quoque, Patris sui adoptivus per dictam legem dici nequit, cum extraneum arrogatio in patriam potestatem transferat, sed filium emancipatum ei solum reddat. *Vid. all. l. At hoc*



hoc tamen adoptioni hinc in genere, & qua pater alioquin dimissum è potestate sua filium per l. 12. §. 41. ff. de adopt. assumere iterum potest, non obstat, nec argumentum deinde reconciliati animi excludit (ß) in modum istum colligens: Arrogatio à Patre interdum ex alia, quàm benevolentia causa fieri potest, E. & regulariter, ratiocinio imbelli assertionem suam absque dubio munit, maximè cum d. l. 23. conjecturam aulam, quoad casum ejusmodi specialem, suppeditet.

### THES. XIX.

Non obtinet cæterum tam tacita, quam expressa etiam remissio in iis causis, quæ hæreditatem alicui non ex testamento solum, sed & ab intestato, ac (1) tum quoque, ubi, cum testamentum condi, & apponi in eodem illæ potuerint, sed ommissæ sunt, nec non (2) istòc licet, à quo relinquitur, repugnante, per legem auferunt. Pertinet huc hæresis imprimis. Nam ob hanc, quamvis vel, post manifestam ac specialem ejus remissionem, Pater filium sibi in testamento hæredem expressè scripserit, nequicquam tamen iste compos hæreditatis hinc reddetur. *Vid. Nov. 115. c. 3. §. 14. Conf. Stryk. Tr. de Succes. ab Intest. Diss. 12. c. 2. §. 31.* Per mores nihilominus hic, quoad hæreditatem ex defuncti voluntate Exhæredato post delatam, aliud in quibusdam videtur locis jus esse. *Vid. Hub. pars. 3. practis. de hæred. Inst. §. 3.*

### THES. XX.


Est dein utraque supervacua, ubi quis nuncio delictis exhæredationem promerentibus ejusmodi, quæ successiva sunt, remisso, ad frugem bonam istòc adhuc, ejus hæreditas ipsi auferenda est, vivo, revertitur. Accensetur illis hæresis rursus, item consociatio cum histrionibus ac mimis. Etenim cum in

B

sib



his ad continuationem ac durationem respectus fiat. *Nov. 117. c. 3. §. 10.*, ibi: *si permanserit & verò vitâ emendatâ, istæ non secus, ac tenebræ, sole exoriente, cessent, dispendium hæreditatis, nec eò, à quo illa debetur, per dispositionem vel maximè id suam intendente, prædictorum qui aliquo vitiorum infectus fuit, faciet, Stryk. Tr. de Success. ab Intest. Diff. 12. c. 2. §. 37.* Non interim sive remissio expressa, sive tacita & in causis æque momentaneis frustranea erit, quia tales per admissi pœnitentiam infectæ non fiunt. Accedit, quod hæ, ut patrem v. c. verberare &c. directè injuriam alterius, at istæ turpitudinem delinquentis cumprimis propriam respiciant. *Stryk. l. c.*



XXI



Königsberg, Diss.; 1720-39

ULB Halle  
004 587 928

3



f  
sb.









483 39

1721, 4

10

1721  
P

Q. D. B. V.  
DISPUTATIONEM  
DE

REMISSIONE  
EXHÆREDATIONIS,

CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ,  
IN AUDITORIO MAJORI  
DISQUISITIONI EXHIBET

PRÆSES

BALTH. TILESIIUS,  
J. U. D. ET P. P.

RESPONDENTE

JACOBO ERNESTO HAHN,  
REG. PRUSS.

ANNO MDCCXXI. DIE MAJI.

REGIOMONTI, LITERIS REVSNERIANIS.

